



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhvsii, 1673

Caput Quartum. Encomium Marianum Quartum. Mater Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

præcesserint. & respondendum cum *Sua-*
rez tom. 2. in 3. part. disp. 6. sect. 3. *Quod*
beata virgo perfectum votum virginittatis e-
miserit ad ejus perfectionem pertinet: Quod
verò ante ipsam nullus hoc fecerit ad ejus com-
mendationem non ad modum refert: Deinde
subdit; Dicit etiam potest prima quia proposita
est tanquam Dux & exemplar hujusmodi voti,
& hunc existimo esse sensum sanctorum Pa-
trum: Igitur beatissima virgo non fuit
prima tempore sed ordine dignittatis emi-
nentia & perfectionis in emittendo voto
virginitatis; Ipsaque fuit revelata & pro-
posita Elia ut exemplar & dux virginittatis,
ad cujus honorem & imitationem illam
vovit Elias & Eliseus præceperuntque à
suis discipulis voveri. Sed hic jam sistamus
quia forte adhuc de materia loquendi am-
prior dabitur occasio in alijs encomijs
Marianis.

CAPUT QUARTUM.

Encomium Marianum Quartum.

MATER CHRISTI.

CONsiderata jam pridem admirabilis
 Matris ac Dominæ in quantum DEI
 Mater

Mater est excellentiâ ac dignitate; super-
est ut pauca etiam de ejusdem dignitate in
quantum mater est Christi differamus.
Ad quam beatissima nos virgo invitans e-
gredimini inquit filia Sion & videte Regem
Salomonem in Diademate quo coronavit eum
Mater sua: id est ut exponit Dionysius Car-
thus. videte eum in assumpta humanitate præ-
clarissime decoratâ regiâ sacerdotali & judicia-
riâ potestate magnificè sublimata quam assump-
psit ex me, atque in glorificatione humanitatis
ejusdem quam glorificationem à me matre suâ
accepit in quantum fuit occasio medium ac
subjectum ex quo sue incarnationis & mini-
stratrix substantie sue humanationis: per
quam exaltationem & glorificationem corporis
sui accidentale premium meruit & accepit.
Dignitas ergo beatissimæ virginis in quan-
tum est mater Christi licet comparata ad
excellentiâ quam habet ut Mater DEI
exigua sit: numquã que ad illam pertingere
possit, cum illa sit infinita ut dictum est, hæc
autem finita: finitum autem ad infinitum
nulla sit proportio, in se tamen excellens
valdè est: Et quæso nonne magna imo ma-
xima dignitas est matrem esse primogeniti
ex

ex mortuis, primogeniti inter omnes creaturas, Creatoris & Conditoris vniversorū? nonne maxima & ineffabilis quodammodo est dignitas è sacris suis sanguinibus materiam spiritui sancto præbere efformandi corpusculi Filio Dei æterni? Denique nonne maxima dignitas censenda est virgineo lacte & ubere illum alere & nutrire *Per quem nec ales esurit? illum, qui dat jumentis escam ipsorū & pullis corvorum eum invocantibus? Oportuit profectò* (ut bene ait Dion. Carthus. cap. in cant.) *innocentissimum benedictissimæ virginis incomparabiliter sobria, castæ ac virtuosissimæ sacrosanctum corpusculum, Deificataque ubera suavissimo fragrasse odore, præsertim cum tam prædominans virtus ac puritas animæ soleat redundare ac apparere in corpore.* Et iterum cap. 4. Expendens hæc verba cantici canticorum sponsi cælestis ad sponsam: *Quam pulchræ sunt mammae tuæ soror mea sponsa. Speciosissimæ utique erant mammae illæ internæ virginis admiranda. Dilectio Dei charitas proximorum, &c. Corporea quoque spiritualissimæ virginis ubera quæ regem gloriæ lactaverunt, Deo verò alimoniam præbuerunt, fonti totius boni*
lac pu-

lac purissimum influxerunt, speciosissima, suavissima, honorabilissima, amabilissima facta sunt & miro modo Deificata, ipsisque angelicis mentibus honoranda.

§. I.

Pulcherrimè autem hujus dignitatis excellentiam depingit in visione sua Apocaliptica dilectissim⁹ Christo-discipulus Virginis Matris à crucifixo filius & custos deputatus *S. Ioannes*, asserens se vidisse *MARIAM* Virginem totam sole vestitam, luna calceatam & stellis coronatam : *Signum inquit magnum apparuit in celo Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus : Et in capite ejus Corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. Miratur quidem Doctor mellifluus quomodo possit fieri mulierè sole vestiri & non aduri. *Quomodo inquit in tanto fervore tam fragilis natura subsistat.* ferm. sup. sign. mag. *non est Mulieris potentia ut sustineat solis amictum.* Meritò quidem hoc ipsum mirabatur *Bernardus* : At magis mirandum mihi videtur quod inquit Evangelista se vidisse eandem stellis coronatam & sole amictam, hæc enim cum philosophia & ipsa experientia repugnant : Si dixisset solum se vi-

G

disse

disse eam sole vestitam fides adhiberi poterat: jam verò quia utrumq; asserit incredibile videtur, experientia enim docemur stellas numquam lucere nisi tantum noctibus subtracto nimirum sole ab horifonte nostro. At quamprimum redit ad eundem lucidissimus ille planeta statim, abscondunt decorem suum stellæ, majore lumine minus obfuscente: unde quidam excellentissimi ingenij pro emblemate posuit solem & stellas addito, *non cernuntur & adsunt*, insinuare volens sole per diem lucente stellas adesse quidem non tamen cerni à nobis, quia sint sine luce & splendore. Quomodo ergo stare poterit *S. Ioan. nem* vidisse beatissimam virginem sole vestitam & stellis coronatam. *S. Isidorus Pelusiota*, lib. 3. Epist. 351. explicans locum Apostoli I. Cor. cap. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lune, alia claritas stellarum*, inquit per dictam lucem solis sive claritatem intelligi donum virginitatis, per claritatem & lucem lunæ donum continentia, denique per claritatem & lucem stellarum donum maternitatis. Intendebat ergò dicere sanctus Apostolus: venite & videte mirandum

randum & spectandū mysterium, cui simile numquam vidistis: signum magnum apparuit in cælo & est tale *MARIA* virgo, permanens virgo parturijt infantem, facta est mater Christi: sol virginitatis & stellæ maternitatis in eadem sunt simul unitæ & conjunctæ, & ideo amicta est sole & in capite ejus corona stellarum duodecim: Et hæc omnia excellenter declarat *S. Isidorus* jam citatus his verbis: *Cum igitur matres stellis significentur virgines sole, non est mirum MARIAM hæc omnia habuisse quia & mater exstitit & virgo.*

Mater secundum *Isidorum* dicitur quasi mammam tribuens pro fœtu nutriendo. Mater enim dum fœtus est in utero ipsum nutrit proprio sanguine. Postquam autem de utero exierit ipsum alit & nutrit proprio lacte: Sanguis enim post partum ad mamillas mittitur ibiq; in lactis substantiam commutatur. Unde infantulus multò laudabilius propriæ lacte matris quam alienæ nutritur & alitur. Mater ergò fœtum suum miro modo diligit, ipsum amplectitur, osculatur, lactat, balneat, custodit atque nutrit. Hæc eadem si ulli unquam

matri respectu filij sui uterini, excellentissime Virgini Matri convenerunt: quæ multò majori jure appellanda est mater Christi, quam quævis alia mater sui filij: Alij enim filij ex concursu patris & matris generantur, unde præter matrem habent & patrem; At filius beatissimæ virginis non ita, ille enim sicut ab æterno est genitus à patre sine concursu matris, sic in tempore est genitus à matre sine concursu patris; sola enim beatissima mater & virgo totã materiam tribuit scilicet purissimum & virgineum suum sanguinem, ex quo, ope spiritus sancti efformatum est virginei filij corpusculum. Ac ita hic virgineus filius totus est virginis matris nullo viri concurrente semine sed solo spiritu sancto fecundante, huncque virgineum filiolum virgo mater sicut & aliæ matres prius proprio purissimo virgineoque sanguine (dum scilicet adhuc esset in utero) postmodum autem proprio lacte ac virgineis uberibus enutrivit: Nec fecit beatissima mater quemadmodum multæ aliæ matres facere consueverunt, quæ proles suas post partum alijs nutricibus lactandas tradunt, sed proprio eum lacte pavit ac educavit.

Mirantur nonnumquam matres, unde contingat proles ita sibi, ac parentibus esse degeneres: luxuriosas, iracundas, &c. Nec difficile est hujus invenire causam si attendatur quali & quarum lacte educentur: frequenter enim solent parentes suas recens natas proles nutricibus variarum passionum & vitiorum mancipijs educandas tradere, sicque vitia cum lacte sugunt cum notum sit medicorum axioma: quod *filij matrizen*, quia matrum qualitates cum lacte sugant. Et hæc experientia probari possunt. Experimur quod si tenellus hædulus enutriatur à capra tenera & delicata, delicatus tener & mitis ipse vadit, si verò pendet ab ubere, capræ agrestis & ferinæ hispidus indomitus & ferus ipse efficitur. Et hanc ob causam refertur *Romulus* & *Remus* fuisse proclives ad rapinas, latrocinia & homicidia, eò quòd talia inbibissent vitia, à lupa cujus lacte fuerant educati. Sic & *Agis* Rex, velocissimus fuisse traditur, lacte cervæ hoc causante, cujus lac infans suxerat. *Æneas* etiam fuit visus *Didoni* crudelis & ferox, quod non nisi lacti tigridis suæ olim nutricis attribuendum est:

est:

suæ olim nutricis attribuendum est : Sic
 denique Caligula humanum semper dici-
 tur sitijisse sanguinem, cujus causa est quod
 infans lac mixtum sanguine biberit. Hanc
 ergò ob causam virginea mater suum filio-
 lum proprio lacte fovit & educavit, cum e-
 nim hic filiulus sit totus Virginis Matris,
 oportuit eum suæ matri esse simillimum:
 Sic fatentur qui & matris, & filij imagines
 ad vivum viderunt, asseruntque numquam
 sic fuisse Matri filium simillimum vultu,
 moribus, verbis & habitu. Illa humilis,
 & ille humilis : Illa mansueta, ille man-
 suetus, illa benigna, ille benignus, illa
 pauper, ille pauperrimus : Illa purissima,
 prudentissima, &c. Ille purissimus, pruden-
 tissimus, &c. Denique in omnibus mater
 nihil fuit, nisi filij adumbrata imago ; & vi-
 cissim filius fuit virginis matris expressa fi-
 gura. Ut quemadmodum in divinis qualis
 pater talis filius, ita in terra qualis mater ta-
 lis filius. Testatur hoc ipsum per os patien-
 tissimi Prophetæ *Iob* salvator noster inqui-
 ens *ab infantia mea crevit mecum miseratio,*
& de utero matris meæ egressa est mecum Iob. 31.
 Si causam istius investigemus fortè aliam
 non

non reperiemus, quàm quod hanc miserationem à matre misericordiae didicerit, & cum lacte ejus infuxerit. Cur enim in veteri testamento ille idem Deus tam ferus quodammodo severus & implacabilis vibrans fulmina, excitans tonitrua, evertens & civitates & regna? nimirum quia enutritus à justitia, cujus lacte tantoperè ad justitiam propendens. At in fine sæculorum in tempore natus, quia aliam habuit nutricem, alias etiam suxit qualitates, hinc est quod offensus non defendat se, illusus, sputis defœdatus, spinis coronatus, & flagellatus, non lamentetur: Occisus denique non vindicet, sed & pro occisoribus veniam & misericordiam exoret. *Richardus de S. Victore, part. 2. in cant. cap. 23. beatissimam alloquens virginem: Carnalia inquit in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluereut. In te ergò concrevit lac divina misericordiae & ex te nobis profluxit ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit abundantia.*

§. 2.

ET quid tandem dicemus de amore illo, quo hæc sanctissima mater dilexit hunc virgineum filiolum suum. Mi-

G 4

rus est

rus est amor quo matres solent diligere filios suos, hinc si amorem ipsum depingere velint pictores, matrem pingunt cum suo filiolo ludentem eum amplectentem, &c. solet enim mater congaudere filio suo gaudenti, compati illi dolenti, & patienti, sublevare cadentem, lactare plorantem, deosculari tacentem, abluere & mundificare se sordidantem, pascere digito puerum renitentem, cibum primo masticare ut transglutiat cibum ipsum & sic reficere esurientem, ad loquendum instruere nescientem, cantibus & sibilis demulcere dormientem, & unguentis refovere indigentem. Non dubium quin hæc omnia obsequia diligentissimè quoque filio suo exhibuerit beatissima Mater & Virgo & tantò ampliùs, quantò melius noverat qualis quantusque esset ille, qui suus dignatus fuerat fieri filius. Et inter omnia quàm maximè incessabilibus osculis sanctissimum illud os in quo dolus non est invent⁹ deosculata fuerit; non unius osculi suavitate contenta, sed ea incessanter repetere gaudens: ut benè notavit in illa verba Canticorum *Ambrosius: osculetur me osculo oris*

lo oris sui sic inquit: Non unum osculum quaerit sed plura, ut desiderium suum posset explere, qui enim diligit non est unius osculi suavitate contentus, sed plura exigit, plura vendicat. Sed ipsiusmet amantissimæ matris verba queis suum explicat amorem audiamus: Abbas Igniacensis *Guerricus* fermone in Assumpt. postquam induxisset Angelos beatissimam matrem jam decumbentem & brevi à corpore migraturam, & quid sibi suo vulnere vellet adhibere rogantes: mox subjungit beatissimam matrem in hunc modum respondentem: *Sodales inquit estis sponsi Gabriel iste meus par animphus non puto vobiscelandum amoris mysterium. Dicam igitur tantum ne judicer temeraria quod majora me querere videar. Osculetur me osculo oris sui. Si quid mihi conscia' essem contenta essem cum Maria Magdalena osculo pedum ubi indulgentia sumitur delictorum, sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam, gaudiorum. Cur autem arrogans videar si illud os mihi reposco, quod de me sibi formavit ipse conditus & conditor? Cum parvulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum*

ciosum

ciosum forma præ filijs hominum libebat, satis
 licebat, numquam faciem avertebat, num-
 quam matrem repellebat. Et si fortè impatien-
 tia desiderij eram nimia, ipse tamen more suo
 morem matri gerebat. Gaudebat eam replere
 gratiã quæ diffusa erat in labijs ejus, & dulce-
 dine quã totus plenus erat, totus concupiscentia
 & desiderium castarum scilicet animarum.
 Unde sicut ipse de se confitetur. Qui edunt me
 adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient:
 quantò gratiam oris illius gustavi sua vius, tan-
 tò nimirum repeto nunc ardentius. Ex quib⁹
 profectò licet colligere hujus divinissimæ
 matris erga filiolum suum amorem ut non
 immeritò per sapientem Eccl. 24. dixerit
 se esse matrem pulchræ dilectionis, &c. Sed
 jam ad alia properemus.

CAPUT QUINTUM.

Encomium Marianum Quintum.

MATER DIVINÆ GRATIÆ.

INter alias prærogativas quas dulcissimo
 Inomni *MARIÆ* supra convenire dixi-
 mus, hæc una erat quod ipsum quinq; si-
 gnificatio-